

1098 mayo 11. Letrán

11

*Urbano II ratifica los límites del obispado de Jaca-Huesca que había señalado el papa Gregorio VII y confirma las donaciones que Ramiro I de Aragón había hecho a la catedral de Jaca.*

ACH, 2-985, seudo-original, letra curial romana (B).

ACJ, núm. 23, copia del siglo XIII (C).

ACH, *Libro de la Cadena*, p. 134 (D).

ACH, copia de 1303, perdida (E).

ACH, 9-250, copia del siglo XIV, tomada de E (F).

AMJ, *Libro de la Cadena*, fol. 98 vuelto-99, copia siglo XIV (G).

ACH, 9-103, copia siglo XV (H).

Ed. AINSA, *Fundación, antigüedades de Huesca*, p. 530.

Ed. MIGNE, *PL* t. 151, c. 526.

Ed. SANGORRIN, *El Libro de la Cadena*, p. 111.

Ed. KEHR, *Papsturkunden in Spanien*, II, p. 285.

Ed. DURAN GUDIOL, *Colección diplomática*, I, núm. 70.

#### FALSIFICACION

Urbanus episcopus servus servorum Dei. Venerabili fratri<sup>1</sup> Petro Oscensi episcopo eiusque successoribus canonice promovendis in perpetuum.

Misericordie mater et<sup>2</sup> iustitie custos sedes Romana a Domino Ihesu Christo, qui beatis apostolis Petro et Paulo ligandi atque solvendi potestatem concessit, observare iustitiam et misericordiam impendere didicit. Sequentes igitur constitutionis paginam predecessoris nostri pape Gregorii septimi de terminis Oscensis episcopatus et Iaccensis, quos ipse iure antiquitatis summis precibus gloriosi regis Rainimiri filio eius et nostro charissimo Garsie episcopo Iaccensi in parte orientali concessit, sicut Cinga fluvius a Pireneis<sup>3</sup> montibus descendens per montana et plana discurrit usque ad vallem Lupariam, infra quos terminos etiam ecclesias de Belsa et de Gestal et de Alquezar et de Barbastra eidem antecessori tuo, o Petre Oscensi episcopo, privilegii assertionem confirmavit. Et nos quoque pari spiritu eosdem terminos cum predictis ecclesiis et terminis earum<sup>4</sup> tibi et canonicis tuis presenti auctoritate corroboramus et omnes alias ecclesias, que hac in die sunt inter duo flumina Alcanatra videlicet et Cinga vel in posterum Deo miserante in prescripto termino<sup>5</sup> edificabuntur, ut sic deinceps querela, quam archidiaconi tui Lupo Fortunionis et Lupo Enneconis fecerunt nobis pro ecclesiis, quas de sedis tue parrochia cum dignis postulationibus Sancii regis, quia

terram in gladio adquisierat, capelle sue Montis Aragonis concesseramus, in posterum omnino sopiretur et ecclesia tua pro eo quod antecessor tuus Garsias episcopus contra censuram privilegii romani de ecclesia iam prenominata videlicet de Alquezar per violentiam fuerat expulsus, per nostram manum illam ecclesiam cum suis pertinentiis libere et sine inquietatione quorumlibet posterorum in pace bona postmodum obtineret. In parte etiam septemtrionali eodem tenore, quo per eiusdem regis Rainimiri similiter instantiam, cum supra positus assignati sunt termini, videlicet usque ad Montem Cubellum et usque ad locum qui vulgo dicitur Plana Maior, inclusa tota terra Pinitana et valle Orsella, cum ecclsiis subpositorum castellorum de Ul scilicet et de Sos et de Lusia et de Bel et de Aguero et Morello. Et nos easdem Oscensi et Iaccensi ecclesie in perpetuum concedimus dignum iudicantes, ut tam ista quam alia omnia que prefatus rex die, qua canonica in Iaca fuit constituta, episcopo et canonicis in presentia novem pontificum ad ordinis sustentationem libere donavit, scilicet Sasave, Lerdi, Septemfontes et Ravaga et Sancti Emeterii, cum omnibus eorum pertinentiis, cultis et incultis, et cum decimis omnium redituum regalium totius regni sui et eorum, que quibuscumque ex causis regibus unquam persolventur in Iaca et circumquaque per totam Aragoniam illibata deinceps servitio canonicorum per infinita secula habeantur.

Si qua sane in posterum ecclesiastica secularisve persona hunc nostre assertionis tenorem sciens contra eum temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita si non congrue satisfecerit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Domini nostri Ihesu Christi aliena fiat. Cunctis autem prefixa ecclesie Oscensis iura servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi et vita eterna.

Scriptum per manum Petri scriniarii sacri palatii.

*Rota:* Benedictus Deus et Pater Domini nostri Ihesu Christi. Sanctus Petrus. Sanctus Paulus. Urbano papa II.

Bene valete.

Datum Laterani per manum Iohannis sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis V idus maii, indictione VI<sup>a</sup>., Incarnationis Dominice anno MO. XCO. VIII<sup>o</sup>., pontificatus autem domini Urbani secundi pape anno XI<sup>o</sup>.

1 Venerabili fratri, *om.* G.      2 in perpetuum]. Misericordiam [et iustitie, G.      3  
Pirenensis, G.      4 eorum, G.      5 territorio, G.